



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Sect. iij. De causa per quam effectiuè habitus producitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

citharizationem. Vnde argumentor. Omnis potentia indeterminata est capax habitus: potentia motrix aliquo modo est indeterminata, cum in iis quæ spectant ad artem, non sufficiat imperium voluntatis, neque scientia etiam intellectus: ergo potentia motrix est capax habitus. Et sanè conuincit certa experientia, quia post frequentatos multos actus experimur facilitatem, v. g. in cantu, salatione, citharizatione, scriptione; ita ut homo illa omnia faciat, nihil penè cogitans: illa facilitas index est noui habitus; quæto enim quare idem homo scribat semper eodem modo? vnde quilibet dignoscere facillè possit illius manum? nisi quia in potentia motrice productus est habitus.

Quod enim saluari ea omnia non possint per habitum insidentem imaginationi & intellectui, conuincitur ex eo, quod (ut dixi) multi sciunt quomodo saltandum sit aut citharizandum; neque tamen saltare potènt sciant, aut citharizare: scientia ergo illa non sufficit, sed præter eam habitus etiam requiritur.

Ad primum respondeo negando, quod phantasia huius sit ad vnum planè determinata, ita ut non possit præceptis, aut tardius fieri in rem eodem modo representatam; nam quamuis brutum apprehendere aliud non possit, quàm quod ipsa species representat; apprehendit tamen aliquando facillè, aliquando difficillè id quod representat species. Neque par est ratio appetitus brutorum, in quo, ut dixi, nulli sunt habitus, quia nulla est indeterminatio, quæ tamen est in phantasia. Quod additur de oue fugiente lupum, solum est ex eo quod dixi, nullum esse habitum in phantasia quoad eos actus, ad quos brutum determinatur per instinctum.

Ad secundam & tertiam satis ostensum est, potentiam motricem quoad aliquos actus esse indeterminatam, & non subdi despotice voluntati; neque saluari posse maiorem illam facilitatem per excitationem membrorum, cum eadem maneat eorum figura & temperies; neque per species aut habitus imaginationis & intellectus, cum etiam illis positis difficultas maneat in potentia motrice.

Tantum quæri posset, verum illi habitus potentie motricis sint in corpore, an verò in ipsa potentia? Respondeo autem illos esse in solo corpore, cum potentia motrix spiritalis sit in homine, & indistincta prorsus ab anima.

§. III.

Verum in potentiis rationalibus sint habitus.

Triplex dubitatio.

Ratio dubitandi primò est, quia intellectus tam est potentia necessaria, quàm oculus; tam enim vero non potest dissentiri, quàm oculus obiecto: ergo tam est incapax habitus.

Secundò, vel intellectus indiget habitu ad propositiones notas ex suis terminis, vel ad eas quæ notæ sunt per discursum: ad neutras indiget habitu; propositionibus enim per se notis assentitur per solam explicationem terminorum; notis autem per discursum assentitur necessario, saltem quoad specificationem, & fortassis etiam quoad exercitium: ergo, &c.

Tertiò positis habitibus intellectus explicari commodè potest facilitas maior quæ sentitur in voluntate sine ullo habitu producta in ipsa voluntate.

In intellectu sunt habitus.

Dico quartò, negari nullo modo posse veros habitus in intellectu, saltem quoad partem iudi-

catuam, & quoad partem apprehensiuam eorum quæ non cognoscit intuitiue.

Ratio est, quia intellectus non subest voluntati despotice, sed politice; licet enim non sit potentia libera, neque veritati euidenti possit dissentiri, habet tamen quandam indeterminatam quoad promptitudinem, quando proponuntur obiecta minùs euidencia; est enim aliquo modo indifferens, primò in ferendo iudicio de rebus iis, quarum cognitionem non assequitur euidenter, quales illæ sunt quæ cadunt sub opinionem, vel fidem: secundò in artibus, quas, ut patet, vlti ad discit; imò etiam in obiectis euidentiùs abstractiue cognitis.

Dico quintò, esse quoque in voluntate veros habitus.

Ratio est, quia illa est potentia omnium maxime indeterminata, cum formaliter libera sit: ergo illa maxime capax est habituum. Imò certum est, virtutes morales esse veros habitus, cum maiorem experiantur facilitatem ad exercendos earum actus post diuturnam exercitationem.

Ad primam respondeo, intellectum esse quiddam potentiam omnino necessariam & æquè determinatam ac oculum priore illo modo determinationis nuper exposito, qui opponitur liberati; sed nego illum esse æquè determinatum posteriore modo determinationis quoad facilitatem & difficultatem; quia subest politice voluntati in iis, quæ non cognoscit omnino euidenter.

Ad secundam respondeo, intellectum non egerè habitu ad propositiones per se notas, quæ sunt principia vniuersalissima, ut constat ex dictis in Logica de habitu principiorum. In aliis dico illum habitu egerè, quantum necessitatur ad eliciendam conclusionem positæ præmissis; quia facilitas habitus non in eo consistit, ut positæ præmissis eliciat conclusionem, sed ut tales viuper præmissas ad talem eliciendam conclusionem.

Ad tertiam satis probatum est, facultatem quæ sentitur in voluntate, non posse saluari per solam cognitionem intellectus, cum vitioliores sepe sint peritiores.

SECTIO III.

De causa per quam effectiue habitus producit.

Hæc est causa efficiens habituum, de qua potissimum controuertitur. Primò, quænam causa primò illum producat: secundò, quænam causa illum intendat: tertio, quænam causa illam extendat: quartò, quænam destruat.

§. I.

Quænam causa producat primò habitum.

Est, verum actus ipse transiens producat habitum permanentem; an verò potentia illum producatposito actu; & si actus producat habitum, qualis actus illum producat.

Ratio dubitandi primò est, quia sola voluntas producat habitum, si sola illum conseruat: sed sola voluntas habitum conseruat; actus enim qui præterit, non conseruat habitum; & Deus non potest conseruare habitum vitiolum, qui res est mala: ergo sola potentia producat habitus.

Secundò, habitus cum sit aliquid permanens, nobilior

Quæst. IV. Sect. III. de Habilitib. animæ. 525

nobilior est quam actus qui est aliquid fluens: ergo actus effectiue non producit habitum.

Tertiò, ad habitum non potest esse motus: sed si habitus per propriam actionem producat habitum, ad habitum erit motus: ergo actus non efficit habitum.

Actus cau-
sat habi-
tum.

Dico primò, habitum effectiue produci ab ipso actu, tanquam à vera causa. Ita tenet communis sententia contra Durandum, qui habitus vult produci à potentia; & Buridanum, qui actum censet esse tantum causalitatem, non veram causam.

Ratio est, quia non generatur habitus nisi posito actu: & non est vlla ratio negandi habitum esse verè causam, vt patebit ex solutione difficultatum oppositarum: ergo actus verè causat habitum. Probatur consequentia; si enim actus non est nisi dispositio ad producendum habitum, necessariò debet esse vel subiectum habitus, vel remouere aliquod impedimentum; omnis enim dispositio alterum est ex his duobus: actus non est subiectum habitus, cum sit aliquid transiens; neque remouet impedimentum contrarium, quod nullum est, quando primum generatur habitus in potentia, in qua nullus adhuc est habitus contrarius. Habitibus ergo causatur ab ipso actu. Quod autem actus etiam causa sit, non causalitas seu actio quâ potentia producat habitum, manifestè probatur, quia in actu duo sunt, actio & qualitas. Quatenus actio est, productio est ipsius qualitatis transiens speciei expressæ, v.g. non autem habitus. Quatenus autem qualitas est, non est actio & fieri habitus; in nullo ergo sensu verum esse potest, quod habitus producat per actum tanquam per causalitatem.

Quilibet
actus pro-
ducit ha-
bitum.

Dico secundò, habitum effectiue produci per actum quemlibet, etiam indeliberatum & remissum; sed habitum tamen perfectum non generant nisi actus frequentati, vel valde intensus pluribus æquiualens.

Ratio est, quia habitus producit ab actu, ad quem inclinatur; inclinatur autem etiam ad actus indeliberatos & primò primos: ergo producit habitus per actus etiam indeliberatos. Quod autem producat etiam per actus remissos, probat experientia, quia post istos actus potentiam experimur esse promptiorem ad operandum: ergo in ea productus est habitus; neque potest esse par ratio de guttis aque, quarum priores lapidem non cauunt, sed tantum disponunt; quia illæ producant saltem humiditatem, quam etiam producant guttæ posteriores; actus autem remissi non possunt aliud producere quam habitum.

Perfectus
habitibus.

Sed habitus non gignitur perfectus, nisi per plures actus repetitos, quia perfectus habitus is dicitur, qui difficilè amittitur, estque stabilis propter sufficientem latitudinem gradualem: hunc habitum experimur non acquiri nisi post plures frequentatos actus; non enim aliter sentitur notabilis facilitas: vnde docet Aristoteles, virtutes non generari nisi assuetudine.

Potest tamen vnicò actu gigni habitus, si fuerit actus ille valde intensus; quia actus intensus vt octo æquiualeat octo actibus intensis vt vnum, & possunt facere idem ac illi; supponitur autem posse habitum produci per octo actus vt vnum: ergo potest produci per vnum actum vt octo.

Solutio
trium du-
bitatio-
num.

Ad primam respondeo, habitus etiam vitiosos conseruari à solo actu secundum entitatem habitus, quæ non est ex se mala, sed denominatur tantum extrinsecè mala, prout concurrat actu cum potentia malè operante moraliter. Imò vt

A probabam aliàs, posset Deus primò producere totum habitum vitiosum secundum entitatem, à qua nullo modo habet actus quod malus sit; sed tantum à potentia, quæ operatur tunc cum tenetur non operari. Sed de his in Theologia fusiùs dixi 1.2. & 3. parie.

Ad secundam respondeo, plures esse Doctores, qui existiment cum Alensi 2. part. quæst. 96. membro 2. habitum essentialiter esse perfectiorem actu, quia permanentior est quam actus, neque semper pender ab actuali potentie influxu: est etiam vniuersalior, cum possit ad plures actus concurrere. Sed alij tamen probabilius asserunt cum S. Thoma 1.2. quæst. 71. actum præstantiorem esse habitu ob vitalitatem, quamuis secundum quid habitus actu videatur esse perfectior ob permanentiam; totus enim habitus ordinatur ad actum, actus autem ad habitum non ordinatur: deinde quod viuunt, sine dubio est perfectius omni eo quod non viuunt.

Ad tertiam respondeo, Aristotelem quando negauit motum esse ad habitum, nomine motus intellexisse alterationem sensibilem; quæ non est nisi ad qualitates sensibiles, cuiusmodi sine dubio non est habitus.

§. II.

An, & quomodo habitus augeantur intensiue.

C Aumentum intensuum habituum dicitur esse, quando pars habitus de nouo addita mouet & inclinatur ad idem omnino, ad quod iam antea inclinabat habitus inchoatus, seu quando idem habitus circa idem obiectum, & ad eundem actum faciliùs & promptiùs nos mouet; experimur enim nunc minorem, nunc maiorem facilitatem in operando circa idem. Difficultas igitur est celeberrima de actu & de modo, quo habitus intenditur; vtrum scilicet actus etiam remissior habitum intendat, & vtrum intendat successiue. Potest autem actus esse remissior vel habitu iam acquisito, si actus v.g. sit vt quatuor, habitus verò acquisitus sit vt sex: vel esse potest remissior actu qui præcessit, v.g. heri actum elicui temperantie vt quatuor, hodie non elicio intensum nisi vt duo. De vtroque actu queritur, vtrum producere nouum aliquid possit in habitu, & facere illum intensiorem esse quam priùs.

Ratio dubitandi est primò, quia non datur actio similis in simile, & multò minùs actio imbecillioris in robustius: ergo actus æqualis, vel remissior non potest intendere habitum iam intensiorem, vel æqualem. Et sanè constat, quod postquam calor vt octo productus est in subiecto, si accedat calidum vt duo, non intendit priorem calorem; ergo si productus in subiecto sit habitus vt octo; accedente actu vt duo non crescet habitus.

Secundò, non potest actus remissior habere maiorem vim, quam actus intensior: sed si actus remissior intendat habitum productum ab actu intensiore, maiorem habebit vim, quam actus intensior; producer enim sextum gradum, cum actus intensior non potuerit producere nisi quintum: ergo actus remissior non potest intendere habitum supra quam actus intensior illum produxit.

Tertiò actus non potest inclinare potentiam ad actus seipso intensiores: sed si actus æqualis, vel remissior intendat habitum, inclinabit potentiam ad actus seipso intensiores; quia si actus vt quatuor

Status quæ-
stionis.

tuor intendat habitum ut sex, inclinabitur potentiam ad actum ut sex: ergo actus remissior actu precedente non potest intendere habitum. Denique docet experientia, potentiam non disponi ad operandum feruentius per actus remissiores, sed potius priorem facilitatem perire; quod argumento est, actum remissorem non intendere habitum.

Dico tertio, habitus quoscumque intendi per actus remissiores quam sit ipse habens, & quam actus prius elicitus. Ita tenent Gabriel, Durandus, Valentia, Vasques. Repugnant cum S. Thoma 1. 2. quæst. 52. art. 2. Thomistæ, Almainus, Maior, Suarez, & Moncaus. De Scoto non est ita certum.

Ratio tamen efficax primo videtur esse, quia si actus remissior sit aliquid nobilius habitu intenso, & illum eminenter contineat, potest illum producere: sed actus remissior est aliquid nobilius habitu intenso, & illum eminenti modo continet, cum sit causa æquiuoca illius: ergo actus remissior intendere potest habitum seipso intensiorem. Deinde si actus æqualis, aut remissior non intendere habitum, sequeretur quod actus intensus ut quatuor, qui duraret per tres horas, non plus produceret habitum quam si uno tantum durasset minuto; quod est absurdum, & contra experientiam, alioqui nihil proficeret actum continuare. Probat hanc sequela, quia si actus æqualis non potest intendere habitum: ergo neque secunda pars eiusdem actus æqualis primæ poterit intendere habitum; non enim est maior ratio de uno quam de altero: ergo sola prima pars, si tamen illa est prima, producat habitum, sicque inutiles erunt partes omnes posteriores, & continuatio nihil proderit. Probat, quia idem secundus actus nihil producit in habitu, quia est æqualis actui prius elicto & habitui productum: sed secunda pars eiusdem actus est etiam æqualis: ergo illa non producat quidquam in habitu.

Secundo. Addiscat aliquis memoriter librum primum Iliados, & ex magna contentione exerceat priorem actum intensum ut quatuor, actus vero subsequentes ex minori eliciat attentione; certe constat experientia magis intendi habitum, quem actus intensior inchoauerat, & fieri magis intensum per actus sequentes remissiores; alioqui si aliquis cepisset cum magna contentione aliquid addicere memoriter, non posset illud penitus memorie mandare, nisi adhibito conatu, qui superaret primum. Potestque confirmari appositissimo exemplo; quemadmodum enim quando rotæ magnum aliquis impetum impressit actu valde intenso, si puer deinde aliquis accedat multo minorem conatum adhibiturus, intendet tamen impetum impressum à primo, ita ut celerior sequatur motus in rota: ergo à pari potest actus remissior intendere actum præexistentem.

Denique in actibus supernaturalibus & meritoris quam id sit verum, late probatum est 1. 2. & 2. 2.

Solutio primæ dubit.

Ad primam respondeo distinguendo maiorem. In causis vniocis non datur actio similis in simile, vel imbecillioris in robustius, concedo; in causis æquiuocis, negatur; quia minima pars causæ æquiuocæ, quamuis sit formaliter remissior effectu, eminenter tamen est illo intensior, cum sit illo nobilior. Vnde clara est disparitas caloris, qui producit à calore ut causa vniocæ, & de habitu, quem actus ut causa æquiuoca producit.

Inhabis. Lumen producit calorem ut causa æquiuoca: sed causa æquiuoca, quamuis fuerit minima, potest intendere effectum seipso intensiorem: ergo minimum lumen aëris intendere po-

test calorem ignis; imò posset illud solum incendere totam terram; quo nihil dici potest absurdius.

Respondeo concedendo, quod minimum lumen intendere potest calorem ignis; sed adeo modicum esse actionem illam, ut sensu non possit percipi. Neque verendum est, ne tota terra incendatur per modicum lumen, quia plus aliunde producit frigus à terra & aqua, quam vincere possit actio luminis remissi.

Ad secundam respondeo item distinguendo maiorem. Actus remissior non potest habere maiorem vim, quam actus intensior, in subiecto æquiuocaliter disposito, concedo; in subiecto inæquiuocaliter disposito, nego. Fateor quod actus remissior in subiecto habente iam quintum gradum, producat sextum gradum, cum tamen actus intensior non potuerit producere nisi quintum gradum in subiecto habente tantum tres gradus. Cum ergo diuersa valde sit dispositio subiecti, non est mirum quod agens remissum plus agat quam agens intensum in subiecto minus disposito; quod videmus esse quotidianum.

Ad tertiam, quæ potissimum nititur Suarez, respondeo distinguendo maiorem: actus non potest inclinare ad actum seipso intensiorem principaliter & immediate, concedo; instrumentaliter & remote, nego. Quando actus remissior intendit habitum, non inclinat potentiam principaliter & immediate ad actum seipso intensiorem, sed mediate solum, & instrumentaliter; quia non inclinat ad actum intensiorem, nisi mediante habitu, qui est causa solum instrumentalis actus intensioris. Denique nego potentiam disponi per actus remissiores ad actus contrarios, nisi forte per accedens; sæpius enim contingit, ut qui remissè operatur, plures actus eliciat contrarios; non enim per actus remissos ita disponitur potentia, sed per contrarios, quos exercet facillime, non impedita per actus feruentes.

Supererat hic quærete, utrum actus habitum intendat successiue continuè sine ulla interruptione, quæ grauissima est controuersia; si enim habitus præsertim supernaturalis continuè augetur per actum, qui durat per horam, videbitur infinitè augeri; quia in primo instanti producit gradum unus ipsius habitus: sunt autem infinita instantia, producentur ergo gradus infiniti. Sed de hoc dixi agens de intentione qualitatum, quæ non habent contrarium; & sæpe in Theologia cum egi de merito & de charitate.

S. II I.

An, & quando, & quomodo habitus augetur extensiuè.

Quemadmodum intendi dicitur habitus, quando magis inclinatur quam ante ad obiectum omnino idem, v.g. quando Physica magis inclinatur ad conclusiones de immortalitate animæ, quando temperantia magis inclinatur ad moderandas voluptates gustus circa cibum; sic extendi dicitur habitus, quando inclinatur ad obiecta saltem materialia diuersa, in quibus superanda est noua difficultas; ut quando Physica, quæ prius inclinabat ad cognoscendam immortalitatem animæ, inclinatur ad conclusiones de cælo: quando temperantia, quæ dabat facilitatem ad moderandas voluptates circa cibum, dat facilitatem ad eas moderandas circa potum; hoc est enim augmentum, quod appellant extensiuum.

extensionem; queritur enim, quid producatur dum habitus sic extenditur; deinde unde cognoscamus extendi habitum, & non extendi.

Prima dubitatio.

Ratio enim dubitandi est primò, quia si producitur nouus aliquis habitus per augmentum extensiuum, vel ille vnitur habitui iam præiacenti, & sic augmentum est inclusiuum; vel non vnitur, & sic habitus non est vnus per se ac prædicamentale, sed verum ens per accidens. Consequens est absurdum: ergo dum habitus extenditur, non producitur aliquis nouus habitus; hoc autem quid sit, non est facile dicere.

Secunda dubitatio.

Secundò potest idem intellectus versari circa plura obiecta diuersa sub vna ratione formali: ergo similiter potest vnus habitus indiuisibilis versari circa plura obiecta materialia; v.g. idem habitus scientiæ inclinabit ad conclusiones de cælo, & ad conclusiones de anima, ad moderationes gustus circa cibum & potum. Probatur consequentia, quia sicut intellectus sumit vnitatem ab obiecto formali, sic eam etiam sumit habitus: ergo quoties vnus erit formale obiectum habitus, tam erit indiuisibilis habitus quam intellectus. Quod etiam confirmari potest ex habitibus supernaturalibus, qui sunt extensiuè indiuisibiles: ergo habitus quoque naturales sunt eo modo indiuisibiles.

Tertia dubitatio.

Tertiò, si producitur nouus habitus in augmento extensiuo, v.g. dum ille qui erat temperans circa cibum, fit temperans circa potum, vel ille nouus habitus specie differt à præcedente habitu, vel non differt. Non primum, quia vbi est idem obiectum formale, non est diuersitas specifica; deinde actus isti, ad quos inclinant, & à quibus producuntur, non differunt specie inter se: ergo habitus etiam non differunt inter se specie. Non potest etiam dici, quod non differant, alioqui frustra erunt.

Extensio habitus quod i. t.

Dico quartò extensionem habitus esse productionem noui habitus partialis specie distincti à præcedente. Ita docent Nominales omnes in prologo, Suarez, Hurtadus: contra Vasquez 1. 2. dist. 80. cap. 5.

Ratio est, quia extensio habitus nec est productio solum noui modi, neque productio habitus, qui vnitur physice cum priori habitu: ergo est productio habitus, partialis distincti specie à priori habitu, & cum eo habentis solum vnitatem ordinis. Primò enim, quod non sit solum productio noui modi, probatur, quia dum intenditur de nouo habitus, non producitur solum entitas modalis: ergo neque illa solum producitur cum extenditur habitus. Deinde illud quod dat potentiam veram facilitatem, non est solum entitas modalis, sed verus habitus: illud quod de nouo producitur, cum extenditur habitus, dat potentiam veram facilitatem: ergo illud est verus habitus, non autem solum modus. Denique actus posterior non minorem vim habuit, quam actus prior, imò quam haberet, si non præcessisset prior alius. Sed actus prior produxit verum habitum, quem etiam posterior actus produxisset, si non præcessisset vllus actus prior: ergo actus posterior producit verum habitum.

Secundò probatur non produci habitum, qui physice vnitur cum habitu præcedente; quia illa quæ differunt specie, nec se habent vt actus & potentia, non possunt physice vniri: habitus inclinant ad obiecta specie distincta sunt distincti specie; alioqui enim prior pars habitus Physicæ daret facilitatem ad omnes conclusiones physicas; v.g. qui sciret dari quatuor elementa, sciret animam esse spiritalem, quod absurdum est.

A Dico quintò, ad productionem noui habitus partialis non requiri diuersitatem obiecti formalis, sed sufficere diuersum obiectum materiale habens difficultatem insuperabilem à priori habitu. Ita docent Hurtadus *sect. 4. §. 24.* Theophilus Raynaudus *lib. 1. de virtutibus, num. 160.*

Habitus partialis quomodo producat.

Obserua, posse actus eiusdem scientiæ, vel virtutis inter se differre vel obiecto formali, v.g. temperantia circa cibum, & circa tactum; iustitia circa pecuniam ad non furandum, & circa famam ad non detrahendum; conclusio de quatuor elementis, & de motu cæli: vel differre obiecto solum materiali, sed nouam inferente difficultatem, v.g. temperantia circa cibum, & temperantia circa potum; est enim idem motiuum temperantiæ in vtroque; solum autem diuersitas est obiecti materialis, ita tamen vt obiectum materiale vnus habeat difficultatem distinctam à difficultate alterius. Tunc autem dicuntur obiecta materialia diuersa habere difficultates, quando facilitas vincere non potest difficultatem alterius; v.g. quantumcunque aliqui facilitatem habeant ad seruandam moderationem in cibo, habent tamen difficultatem ad eam seruandam in potu. Vel tertiò differunt actus obiecto materiali, sed non habente nouam difficultatem, vt actus iustitiæ circa pecuniam auream vel argenteam; qui enim habet facilitatem ad vnum, habet etiam facilitatem ad aliud. Quoties ergo actus habent diuersa motiua, vel obiecta materialia, diuersam habentia difficultatem, toties dixi produci nouum habitum partialem specie distinctum à priori habitu.

Ratio est, quia quoties adest noua difficultas insuperabilis per habitum iam acquisitum, necessarius est nouus habitus, quo vincatur illa difficultas: sed quoties adest obiectum nouum habens difficultatem insuperabilem à priore habitu, adest talis difficultas: ergo toties debet produci nouus habitus. Maior certa est, quia tota ratio propter quam exiguntur habitus in potentia, est difficultas quæ debet vinci: ergo quoties est noua difficultas, necessarius est nouus habitus. Neque fatiscit Suarez cum ait, difficultatem illam tolli per species intensiores; sic enim dici posset nullos requiri habitus, sed solas species sufficere.

D Ad primam respondeo, satis ostensum esse, quod in augmento extensiuo producitur nouus habitus partialis, qui non vnitur physice habitui iam præexistenti, sed habet tantum vnitatem ordinis, quatenus omnes habitus partiales dicunt ordinem ad vnum obiectum totale: v.g. physica est vnus habitus totalis, quia eius obiectum formale vnicum est, scilicet naturalitas; ad quam omnia obiecta naturalia dicunt ordinem. Ideò habitus est reuera ens categoricum, & ens per se, ad quod sufficit vnitatis ordinis.

E Ad secundam respondeo certum esse, quod intellectus, voluntas & aliæ potentie possunt versari circa obiecta specie distincta; idem enim oculus videt album & nigrum; habitus autem acquisitus non potest versari circa obiecta specie diuersa, quia habitus producitur per actum, non autem potentia; unde fit vt habitus qui producitur per actum specie diuersum, differat specie ab alio habitu. Ad probationem dico, habitum specificari à motiuo prout difficili, non autem à motiuo simpliciter spectato. Ratio est, quia cum totus habitus ordinetur ad tollendam difficultatem, non spectat obiectum suum nisi sub ratione difficultis, neque sumit ab eo suam speciem & essentiam spectato præcisè, sed prout difficili; non quòd ratio difficultis sit ratio appetendi, sed circumstantia ob-

iecti,

iecti, quæ specificat habitum in ratione habitus. Neque par est ratio actus & habitus; nam actus specificatur à solo motu simpliciter, quia non ordinatur ad facilitatem: habitus autem cum totus ordinetur ad tollendam difficultatem, tendit in obiectum prout difficile. Quoties igitur erit obiectum diuersum in ratione difficultis, diuersus etiam erit habitus. De habitibus supernaturalibus dixi alias disparem esse rationem, quia motuum illi habent vnum specie infima. Tota verò diuersitas se tenet ex parte obiecti materialis, vt in fide obiectum est prima veritas reuelans eadem specie in omnibus; obiecta verò materialia sic differunt, vt nouam non habeant difficultatem. Habitus verò acquisiti obiectum habent specie multiplex, & genericè tantum vnum.

Ad tertiam respondeo, habitus istos partiales, quorum vnus v.g. inclinat ad moderationem cibi, alter ad moderationem potus, specie differre inter se; si enim solo numero differrent, vnus ad illud idem inclineret, ad quod inclinat alter. Obiectum verò formale vtriusque idem est absolute spectatum, sed in ratione difficultis est diuersum. Idem dico de actibus, à quibus producantur, & ad quos inclinant; illi enim in ratione difficultis specie differunt, non differunt absolute sumpti.

§. IV.

Quenam sit causa, per quam habitus destruitur.

Destruuntur habitus experientia docet; quomodo autem, seu per quam causam destruantur, dubium est, non enim possunt destrui nisi vel per corruptionem subiecti, de quo nulla est controuersia, vel per actus contrarios, vel per solam cessationem actuum; quod vtrumque difficile est.

Triplex dubitatio.

Ratio enim dubitandi est primò, si habitus destruitur per habitum contrarium, sequitur totum habitum vitiosum nunquam destrui, nisi quando virtus est omnino perfecta; sicut totum frigus à subiecto non expellitur nisi per summum calorem; consequens illud est absurdum: ergo habitus non destruitur per habitum contrarium.

Secundò, si sola cessatione actuum habitus destrueretur, actus esset causa seruans habitum, alioqui habitus destrueretur ex sola subtractione concursus diuini, quem Deus nunquam negat: consequens est absurdum, cum habitus duret aliquo tempore sine actu: ergo habitus non destruitur ex sola cessatione actus.

Tertiò sequeretur, quod habitus fluentis esset natura, quia sensim diffunderet, sicque nemo perfectum vnquam haberet habitum.

Habitus quomodo destruitur.

Dico sextò habitum destrui vel formaliter per habitus contrarios, efficienter autem per actus, vel per solam cessationem actuum, licet nulli exerceantur actus contrarij.

Primam partem admittunt omnes, quia omne contrarium expellitur formaliter per introductionem contrarij: sed habitus contrarius est habitui, non autem actus; quia ea contraria non sunt, quæ sunt generum diuersorum, qualia sunt habitus & actus: ergo habitus efficienter destruitur per actus contrarios, formaliter autem per contrarios habitus.

Secunda pars, quod sine actibus contrariis sola cessatione agendi diffuant habitus, negatur à Suar. Vasq. Hurtado: docent eam Gabriel in 3. diff. 21. q. 1. Okam. ibidem, Abulensis, Almainus, Lorca, & alij apud Theophilum 2. 181. Probat

A autem primò experientia: nam periti alicuius artificij aut lusus, si diu omittant exercere illa opera, sensum experiuntur se amittere primam illam facilitatem, ita vt si ad opus deinde regrediantur, non possint operari sine difficultate: idem experitur in habitibus memoriæ ac scientiarum. Hoc fieri non potest per actus oppositos, qui nulli sunt; neque per solum defluxum specierum phantasia, cum sæpe rerum recordemur, ad quas tamen non habemus facilitatem: ergo sola cessatione actuum habitus illi destructi sunt. Dicere autem, habitus illos sopitos tantum esse propter multitudinem cogitationum, non satisfacit, quia volo cogitationes alias omnes ab huiusmodi homine deponi, qui tamen in operando sentiet magnam difficultatem.

Deinde constat alia etiam plura esse quæ sensim deficiunt sine actione vlla contrarij, vt dictum est de impetu proiectis impresso, & de ipso sono, qui postquam aliquamdiu durat, intereunt ex sola subtractione diuini concursus, quem non amplius exigunt: ergo similiter potest definire habitus ex sola cessatione actuum, sine contrario vilo actu.

Ad primam respondeo habitum vitiosum, quem aliquis acquisiuit per plures actus vitiosos, non penitus destrui donec perfecta sit virtus; si enim aliquis quinque acquisiuerit gradus intemperantiæ, non potest vllum ex illis gradibus expellere per actus contrarios, donec plures habeat gradus temperantiæ, quàm tres; sicut ille qui habet quinque gradus caloris, nullum ex iis gradibus amittit, donec plures habeat gradus frigoris, quàm tres; quia scilicet temperantia & intemperantia non sunt in gradu impossibili. Si aliquis quatuor habeat gradus intemperantiæ, cum gradibus quatuor temperantiæ, non in actu secundo ad temperantiam, aut intemperantiam, sicut lapis habens grauitatem vt quatuor, & impetum sursum vt quatuor, in æquilibrio manet.

Ad secundam dixi, habitum non conservari per actum, sed à solo Deo, qui non denegat concursus, donec illum non amplius exigat habitus; hic enim post aliquod tempus non exigit amplius conservari.

Ad tertiam respondeo non esse habitum rem successiuam, alioqui nullus partes suas haberet simul, sicuti motus; sed esse tamen aliquo modo fluentis naturæ, quia sensim dilabitur, & non exigit semper esse ac conservari. Potest autem aliquis frequentes exercens actus perfectum habitum acquirere, quia plus acquirit crebra excitatione actuum, quàm amittat ex habituum defluxu.

SECTIO IV.

Quenam sit causa finalis, propter quam est habitus.

Certum est habitum non esse nisi propter actum; sed queritur, vtrum habitus efficientiè producat actum; an verò concurret tantum ad modum quendam facilitatis & delectabilitatis, quo fit actus; sic enim censet Vasquez disputat. 81. cap. 2. Alij verò cum Scoto & Capreolo volunt, solam intensionem actus ab habitu produci. Denique alij cum Durando & Hurtado putant habitum esse tantum quendam dispositionem, quæ posita facilius agat potentia.

Ratio dubitandi est primò, quia inter causas æquiuocas